

† R. P. Iosephus Gallagher (1884-1952)

1. Dominica in Palmis, 6 Aprilis 1952, Toronti in aula nostrae paroeciae Germanicae (*Settlement House Auditorium*) repraesentabatur quoddam drama Passionis, cui etiam P. Gallagher intervenire voluit; sed visus est post secundum actum, ca. h. 9 p.m., exire. Proculdubio male se habebat. Vadit igitur ad suum cubiculum in suprema domus contignatione situm. Post mediam noctem, ca. h. 12,55, quidam Pater ibidem habitans audit foris strepitum. Exit et videt Patrem Gallagher in pavimento iacentem nec ullum vitae signum dantem. At-tamen nondum erat mortuus. Recepit igitur gratiam absolutionis sacramentalis et extremae unctionis. Videbatur tunc semi-conscious esse. Brevi post, ca. h. 1,15, inter preces confratrum anima ex corpore exivit.

P. Gallagher non erat magno ingenio praeditus nec magnis viribus physicas, sed iudicio sano iustoque singulos homines diiudicabat. Videbatur quodam malo sibi aliisque ignoto laborare; sed carus erat populo et confratribus ob suam comitatatem animumque semper tranquillum. Locus eius natalis vocatur Eganville in provincia Ontario et dioecesi Pembroke. Ibi natus est 10 Aug. 1884 et usque ad a. 1912 suam formationem redemptoristicam recepit inter sodales Provinciae S. Annae. Theologiam autem, interim adscriptus novae Vice-Provinciae Torontinae, didicit in collegio Esopus, N.Y., et ab Em.mo Cardinali Ioanne Farley 10 Iun. 1915 sacerdotio auctus est. Vixit et laboravit in variis Provinciae domibus, longe diutius in Marianopolitana (1919-21; 1927-40) et S. Ioannis (1940-50), addictus operae paroeciali ac domesticae. Triennio 1924-1927 gubernavit communiteatem Anglicam in Yorkton. Inde ex d. 22 Oct. 1950 erat Consultor-Admonitor sui Provincialis.

Pie Iesu Domine, dona ei requiem sempiternam! (1).

(1) Cf. *Madonna*, Maio 1952, p. 148 et ms. Patris Mc-Briarty.